

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Phœnix sive consecratio ... Melchioris Sebizii ... Doctoris
et Professoris medicinae, [gest.] 25. Jan. 1674 ... tenui
monumento adumbrata ...**

Keck, Johann Christian

Argentorati, 1674

[urn:nbn:de:bsz:31-135679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-135679)





52.

PHOENIX
Sive
CONSECRATIO
ILLVSTRISSIMI SENIS
MELCHIORIS
SEBIZII,
COMITIS PALATINI
CÆSAREI, SUMMORUM
PRINCIPVM ET REIP. ARGENTORATENSIS
ARCHIATRI, CAPITULI THOMANI PRÆPOSITI,
ITEMq; DOCTORIS ET PROFESSORIS
MEDICINÆ, PER ANNOS SEXAGINTA
TOTO ORBE CELEBERRIMI.

ÆTATE QUOD PARUM
AMIRACVLO ABEST, AD INTEGRVM
PÆNE SECVLUM PROVECTA DE OMNIBUS VSq;
AD EXTREMUM VITÆ TERMINVM
BENE MERENDO ANTE DIEM XXV. MENSIS
JANUARIJ ANNI M. D. C. LXXIV.

GLORIOSISSIME DEFUNCTI.
TENUI MONUMENTO ADUMBRATA

PER

JOH. CHRISTIANVM KECKIVM,
CONSIL. DURL. MARCH.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

DI, quibus humanæ cura est concredita vitæ
 Et numerus annorum, nobisque incognitus ævi
 Terminus, & certi meta incertissima fati,
 Alma Salus, & Hygea potens succurrere, morbo
 Si quibus aut fractæ vires, aut frigida si quos
 Occupat, extincto, qui cor fovet, igne, senectus:
 Secula fluxerunt, ex quo vix eminus ullam
 Constat, Imperii sit quanta potentia vestri,
 Mortales habuisse fidem. provectior ætas,
 Qua prisci valere patres, & sera virorum
 Canities, senique vigor juvenilia vincens
 Robora, defecto paulatim corpore, coepit
 In nugis anuum, res non credenda, reponi.
 Tandem experrecti, vestris & viribus usi,
 Exemplo renovastis opus, verumque probastis,
 Nunc quoque posse Deos Parcarum extendere fusos,
 Et longum dare luce frui. grandæva SEBIZI
 Vita, nec à seculo distans, quam quatuor annis,
 Servatæque, quibus vel florida gaudeat ætas,
 In senis haud fracto tot lustris corpore vires,
 Sed neque tot lustris hebetatum mentis acumen,
 Et tractatarum memor experientia rerum,
 Eloquio professa gravi, quæcunque sub Artem
 Virtutemque cadunt, hanc extinxere querelam.
 Intumuit Libitina furens, & jurgia Diti,
 Quod sua non curet fraudari sceptrâ, virumque
 Centum annos patiatur humi consumere, movit:
 Scilicet hæc, ajens, est vestra superbia? tantum
 Numen habetis enim, nequeat quod civibus Orci
 Adjicere unum hominem? cur non vos rideat Heros?
 Hoc sciat Alcides, hoc Thracius audiat Orpheus,
 Alter amicam iterum nunc asseret, alter amicum.
 Tum Pater Hermetem, duplicis commercia mundi
 Cui soli permissa, vocat, sicque ora resolvit,
 Ora quibus potis est dare jura silentibus Umbris:
 Præpes Atlantiade, pete cælum & numina lucis,
 Fratrumque Jovis folium, Superisque coactis
 Exprobra, Stygiæ cur ille SEBIZIUS aulæ
 Humani contra generis sortem, usque negetur?
 Non satis est me damna pati, quod mille salutem
 Ægris reddiderit, nostroque extraxerit Orbe,
 Quos prope jam manes Acherusias unda vehebat?

Ipse

Ipse etiam terris nocitura exempla superstes
 Præbeat, immunes ab Averni legibus ullos
 Æternosque homines nasci? mortalis habetur?
 Quid vetat ergo mori? Deus est? cur exulat astris?
 Quicquid id, Elysiis accedat ut incola campis,
 Debetur pridem ille mihi. dic ista. loquuto
 Tenariæ sic gentis Hero, vitiavit opertas
 Halituum fuligo trabes, & labra querentis,
 Et ferruginea stillavit barba saliva.

Paruit extemplo Majâ satus, istaque Divis
 Nuntia coelitibus cursu tulit ocyor Euri.
 Ast illi: quid Pluto sibi, quid Tartara regno
 Stellifero divisa volunt? in nostra referri
 Concilia hunc fas est, sibi quem fors tertia mundi
 Postulat. in cœlum redeat cœleste SEBIZI
 Sidus, avis atavisque micans, & sanguinis ortu
 Sarmaticis per facta patrum fat cognitus oris
 Nec mentitus Eques; cui Regum gloria Cæsar,
 Cui Reges, summi que Duces præclara favoris
 Signa dedere sui: peregre cui littora visa,
 Lustratæque urbes, populorum & cognita virtus,
 Ingenium poliére sagax, linguæque librique,
 Et si quæ sapiens haud ignoranda putavit,
 Divitiis auxere penum superantibus auri
 Pondera: quodq; magis, cui nos (neq; pœnitet) omnes
 Justitiam, moresq; probos, & pectus apertum,
 Et studium penitus sacra introspecta colendi,
 Æmula dona Diis, serosq; ornantia canos,
 A teneris annis instillavisse fatemur.
 Pæonias artes si quæris, & invia scitu
 Naturæ miracula, novis intacta magistris,
 Nec veterum libata Sophis mysteria mundi,
 Quæque Canopæus texit secreta Sacerdos
 Arcanis insculpta notis, Arabumque labores,
 Et Coæ monumenta scholæ, Ter Maximus aut quæ
 Prælusit, Theophraste, tibi: seu noscere morbos
 Morborumq; ortus, & quæ cui pharmaca profint:
 Sive pruinosis evulsas Alpibus herbas,
 Seminaque, aut Indæ lapides exsecta capellæ
 Antidota, aut acido potanda è fonte metalla,
 Seu thermas medicosq; lacus: ut sanguis agatur?
 Ut mola curetur? serpens ut in ilia missus

Exeat? hæc nostri fuit ingens cura SEBIZI,
 Præter eum, hæc nullus docuit sic Celta, nec Auson,
 Hunc licet urbs Patavî celebret, Mons Pessulus illum,
 Præter eum, Archiater cum nemine certet Apollo.
 Huncne virum, Fili, (sic tandem Jupiter inquit,
 Pallas enim, interpres Divûm, prius ista loquuta est,
 Pallas abunde potens dictis expromere verum)
 Sub tenebras Erebumque locem? quin, nostra volucris
 Germano responsa refer: contagia centum
 Mille necent, totidemque cadant per militis ensem,
 Nunc ubi bella ruunt bipotentibus excita portis:
 Huic stragi veniam dedimus, ne lucra queratur
 Intercepta Charon, neu sit, cur infera Pluto
 Sceptra putet sperni. solus memorabile numen
 Inter mortales, acerrimus ille Machaon
 Ofor Agyrtarum, vanæ crux ultima sectæ,
 Vendentis lingua fumos, prius ære coemptos
 Ignibus absumpto, generosa SEBIZIUS ora
 Ostendet terris, donec se misceat ultro
 Sideribus, laudumque fatur nostro inferat Orbi.

Nulla mora, hæc domino profert Cyllenius Orci
 Ut sibi mandatum est, & spes incidit avaras.
 Quis furor incessit Regem Stygis? ignea circum
 Lumina sulfureos frendens contorsit in orbes,
 Et murmur ferale dedit. quin fuste picato
 Iram explevisset, flammaque ursisset & armis
 Infontem puerum, nisi, quæ reverentia virgæ
 Legati fertur, motus sedasset abortos.
 Tempestate tamen Stygii fervente Tyranni
 Regia concussa est, & ferrea claustra barathri
 Horrendo crepuere sono: neque durius olim
 Fracta remugirent inferni cardine moto
 Ostia, si thalami sociam prædator ab arvis
 Rapturus Siculis iterum prorumperet Ætnâ.
 Interea ad seculi spatium provolvitur ætas
 Cumque annis excrescit honos & fama SEBIZI,
 Et capiti stat robur idem, quo læta juvenus
 Usa fuit quondam, vix muneris aure negante
 Emeriti partem; sensusque animique vigore
 Integer, ecce, vocat Gnatum gravitate senili
 ALBERTUM, quin noster ades dignissimus hæres,
 Et lustris absolve tuis mea tempora, Fili,

Conti-

Continuaq; sacros, dicens, quibus utilis Orbi
 Extiteram (verbis absit laus vana) labores.
 Par tibi erit merces, lauruque revinctus ovabis
 Victor opima necis spolia inter, & alta tropæa.
 Nec tibi pars nostræ transmittitur infima famæ
 BERNEGGERE, gener, quam nec servare recusas,
 Et meritis augere potes: tuus ille per Orbem
 Illustris Genitor, meus, ah! quondam alter Achates,
 Sedibus in superis mea mox consortia sperat:
 Me, me illæ sedes. hæc postquam oracula fudit,
 Subtili sensim igne coqui sub pectore cœpit,
 Et velut à flammis in prima elementa reduci.
 Lectus ei Panchæa strues, sunt stragula nidus
 E sylvis Arabum, quo condita Solis ut ales,
 Bis dena exacti cum finit Olympias ævi,
 Igne perit vivax; Heros sic tarda grabato
 Fata vocat recubans, & seculo proximus annis,
 Ut juvenescat, obit: petit inde SEBIZIUS astra,
 Corporis inde gravi purgatus face levatur
 Per liquidas auras ad clarum limen Olympi.
 Nimirum in partes luteâ compage carentes
 Attenuata prius membrorum regia moles,
 Igne animæ liquefacta intus, cœu lampade Phœbi
 Æquævus volucer; nec formæ ignara futuræ,
 PHOENICEM leve scandit onus, tergoque recepta
 Tranantis patrio succensas lumine Sphæras,
 Intrat cœruleum stridentibus æthera pennis.
 Armigerum quid, Roma, Jovis sublecta favillæ
 Heroum simulacra putas immittere cœlo?
 Sanctior hæc anima est, avis hanc Titania, pullus
 Ipsa simul genitrixque sui. comes ultima vitæ,
 Et pulchra in GNATO redeuntis imago SEBIZI,
 Supra oculos hominum tenebrosa que nubila tollit.
 Dumque volat, positosque infra se fallere montes
 Culminibus, magnumque procul despectat inane;
 ARGENTINA memor, quid tanto debeat astro,
 Marmoream media decernit in Vrbe columnam
 Nestoreo civi; cujus sublime cacumen
 Lædendum nec clade Jovis, nec edacibus annis,
 Assyrius volucer tali cum lemmate signat:
 MELCHIOR. HOC. CVRRV. SVPER. ASTRA. SEBIZIVS. IVIT.
 ÆTATE. ET. MERITIS. ET. FAMA. ET. SANGVINE, PHOENIX.

Te pudeat, Pharos alta, tui! quid stulta parasti,
 Dum cineres, nunc ipsa cinis, servasse putabas
 Portentis operum, quorum neque nomina constant?
 Quis furor, impensis emere hæc obliviam tantis?
 Nec sibi per statuas acquisivere Pelasgi
 Immortale decus: non angustata per arcus
 Roma triumphales, structosque in funere cippos.
 Interiere sua miracula Barbara mole:
 Vanaque Grajorum spectacula, vana Quiritum
 Ac affectatos exedit tempus honores.
 Quod Virtus fundavit opus, quod Gloria struxit,
 Quod Patriæ sanxere Patres, ut celsa SEBIZI
 Pyramis, hoc metâ cariturum durat in ævum.

Dîs autem curæ est, qua stet venerabile fidus
 Parte poli, spatiumque novo quod competat astro?
 Et placet Æmonium terris Chirona remmitti,
 Semiferique locum, stellis explere SEBIZI.
 Qui statione præit, chelas mox contrahit ardens
 Scorpius, & saltu Caper abstinet, hospite viso,
 Pone sequens; jamque ipse suis è cursibus Heros
 Sidit humum Philyræus, & inter castra Ducesque,
 Ludere quem doceat testudine, quærit Achillem,
 Sed, cytharam qui discat, abest. hodierna potentum
 Pignora præcipuum sibi ducunt, nolle doceri
 Ingenuas artes; hinc nec mitescere possunt,
 Et feritatis habent plus quam Centaurus equinæ.
 At pater auratas inter nova flamma cohortes,
 Totque ferens alis, rostro, pede, pectore, stellas,
 Quot Pelei focer ante tulit, fax lucida PHOENIX,
 Fulguris & nivei, quantum micat, æthere, compos,
 Mentibus humanis conservandæque salutem
 Terrigenum, DIVUS meliore SEBIZIVS ortu
 Creditur illabi: postquam securus ab alto
 Sub pedibus projecta Deum, turbantibus Orbem
 Omnia plena videt rixis, plena omnia nugis,
 Erroresque hominum deludi sponte volentum
 Ridet, & infani peritura crepundia mundi.
 Hæc ita dum Cœlo fiunt terraque, repente
 Infuetum super axe jubar præstrieta tuentur
 Lumina, nec vati vox libera faucibus exit,
 Et stupefacta suos requierunt barbata cantus.

F I N I S.

